

**P**ars. II. **Ca. I.**  
 credulitas. Nec lumen quantum debet emicare: nec motum efficere  
 sufficiens: et ideo nec virtus: nec virtuosa est: sed est opinabilis  
 apprehensio: et crudelitas debilis: et tenebrosa per multum: quia  
 vero virtus fidei hoc modo ut diximus: fugat vicia et peccata:  
 et deo dictum est: fide purificans corda eorum.

**Secunda Pars libri: de causis errandi in fide. Ca. Primum**

**P**ost hoc autem relinquatur nobis declarare et nu-  
 merare causas errorum impietatis: et sectarum  
 perditionis. **A** Harum prima est ignorantia  
 mensuræ: et capacitatis intellectus humani. Qui  
 enim intellectum suum omnia capere existimat.  
 credit in necessitate non esse quicquid in intellectu suo non in-  
 tenerit: quemadmodum si quis crederet intra circulum vel celum  
 esse omnia: necesse haberet credere: non esse quicquid intra  
 ipsum: non inueniret. **H**ec igitur est causa propter quam que-  
 quid intellectus eorum non capit: non esse credunt. **E**rgo ad-  
 uerte hic: et crede intellectum humanum mensuratum et limitatum  
 in sua capacitate ab ipso creatore suo deo: qui posuit ei terminos  
 que et quot et quantum capiat: capacitate sua naturali: multa  
 apud se secreta reueruata: reuelanda cum voluerit: et quando  
 voluerit. **S**imilis error huic: et similis ignorantia inuenitur in  
 hominibus: qui credunt nullo modo esse posse scientiam de magni-  
 tudine solis et lune atque stellarum: et de similibus: pro eo quod  
 non est in intellectu eorum. **B** Secunda causa errorum  
 istorum est auersio intellectus ab eis que credenda sunt. **Q**uem-  
 admodum enim qui auersos habet oculos ab eis que videnda  
 sunt: et auersos ad alia videnda: videre non potest in ista auersio-  
 ne. **H**ic sunt qui tanto amore amplectuntur opiniones suas  
 et sectas: ut de contrariis etiam nec cogitare velint: tantoque odio  
 auersi sunt et contrarij contrarij errorum suorum: ut ea nec re-  
 spicere nullatenus velint tu autem scis: quia idem est cogitare  
 quod corde siue intellectu intueri atque respicere. **E**t quia amore  
 conuersio est ad amatum: et odium auersio est ab eo quod odit:  
 quod ipsi auersiones et auersiones corporales indicant et ostendunt:  
 velut umbre et similitudines quodam inter eorum siue spiritualium  
 conuersionum et auersionum. **M**anifestum igitur est propter  
 quid huiusmodi homines ea que credenda sunt: credere seu videre  
 non possunt: non enim datum est hominibus videre post tergum  
 suum: necque videre sine intuitu et aspectu. **T**ercia causa erroris  
 est ipsa rerum subtilitas: quia turbido et grosso intellectu visi-  
 biles non sunt. **Q**uemadmodum enim est visus a deo turbidus.